ſpiritum non velle jactare, videri tamen ſibi ſe quoque illius compotem factum, non minus quam ipſos. Eſt hoc impoſtorum proprium, ſpiritum Dei & afflatus arcanos jactare, fidelibus Dei ſervis obtrectare, ſpiritum detrahere: ut videre eſt in Zidkia pſeudopropheta 1. Reg. 22. 24. Jubemur igitur non cuivis ſpiritui credere, ſed probare ſpiritus, an ſint ex Deo. 1. Ioh 4. 1.

A

CAPITIS VIII.

Argumentum, partitio, analyſis.

AD alterum caput epiſtolæ Corinthiorum, quod fuit de idolothytis nunc reſpondet apoſtolus: licerétne fidelibus libertatem Chriſtianam intelligentibus, occaſione ferente, in gentilium idolêis accumbere, carnibus immolatitiis veſci, vel carnes immolatitias ad veſcendum è macello emere: deniq; licitúmne eſſet, ad gentilium convivia domeſtica, quibus idolothyta apponerentur, accumbere. Hæc tria quæſita fuiſſe, ex fine capitis 10. colligitur. Ad PRIMUM apoſtolus reſpondet dehortando à tali facto: quoniam etſi ex ſe licitum eſſe poſſit: præſtet tamen ob ſcandalum adhærens abſtinere: idq; facit tum ἀνασκευαστικῶς, refellendo prætextus ſciolorum, quibus factum ſuum tegebant, hoc capite 8. & 9. tùm κατασκευαστικῶς, oſtendendo rationes, ob quas à tali eſu, & ſimilibus licitis, ſed noxiis abſtinere conveniat cap. 10. uſque ad verſum 25. Ad ALTERUM & TERTIUM reſpondet annuendo, modò nullius lædatur conſcientia: uſque ad finem. Hæc eſt διάθεσις generalis.

HOC capite taxat prætextum accumbentium in idolêis primò generatim, quòd non ſatis ſit, libertatem Chriſtianam circa res medias ſcire, ſed quòd ſcientia charitate ſit temperanda, ne ſalutaris libertas in noxiam licentiam degeneret: Deindè ſpeciatim, quòd licet idola nihil ſint, & cibi indifferẽtes, qui nec placere, nec diſplicere nos faciant Deo: tamen non omnes habeant talem ſcientiam, & eam habentes eſu ſcandaloſo variè nõ modo in fratres infirmos, ſed in Chriſtum ipſum peccent: Vnde tandem a talibus cibis abſtinendum eſſe concludit.

Partes igitur capitis conſtituo tres:

PRIMA ver. 1. 2. 3. eſt occupatio prætextus generalis, quem ad excuſandum factum primo loco attuliſſe videntur: *Qui ſciunt*, B h. e, probè intelligunt *libertatem Chriſtianam in adiaphoris, non peccant ea utentes.* Nos omnes ſcimus libertatem noſtram. Ea igitur utentes non peccamus. *Aſſumtionem* ponit μιμητικῶς verſ. 1.

ἀδιαφορ